

- lidum sic ordinato providere de necessariis alimentis.
- 32 Quinimo nedum Episcopus, sic scienter ordinans, sed etiam Episcopus scienter dans licentiam alteri Episcopo promoventi, vel certis, & determinatis promovendis ad Sacros Ordines sine titulo, tenetur ipsi alimenta prestare.
- 33 Si vero Episcopus alienus ex generali commissione, & licentia Episcopi diocesani ordinationes habeat, & scienter ordinat aliquem sine titulo, tunc ad ipsi alimenta prestanda non tenetur proprius Episcopus, sed alienus.
- 34 Talis obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo incumbit Episcopo solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem.
- 35 Item talis obligatio incumbit Episcopis solum, quando scienter sine titulo ordinant, vel concedunt alii determinatam facultatem aliquas certas personas sic ordinandi, & sic ordinati bona fide, & absque dolo, & fraude propria tales Ordines susceperunt; non autem quando sic ordinati fuerunt ipsi soli in culpa, & dolo.
- 36 Si Episcopus aliquem ordinat sine titulo sub pacto, & promissione, quod ordinatus non possit exposit ab ipso petere alimenta, tunc Episcopus ordinans suspenditur a collatione Ordinum per triennium, & sic ordinatus est perpetuo suspensus ab Ordine recepto, donec à Summo Pontifice dispensetur.
- 37 Si Episcopus Religiosum nondum professum, aut non nisi ad certum tempus, ordinat ad Sacros Ordines sub pretestu Religiosis, & absque titulo beneficii, vel patrimonii, tunc ipse est ipso iure suspensus per annum a collatione talium Ordinum, & Religiosus sic ordinatus est suspensus ab executione Ordinum, donec beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat unde vivere possit; & si interim in ipsis Ordinibus ministraverit, efficitur irregularis.
- 38 Excipiuntur tamen Patres Societatis Jesu, qui tria vota in Societate emiserunt, quia de licentia Praepositi Generalis possunt ipsi promoveri ad Sacros Ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem.
- 39 Promoti ad Sacros Ordines cum falsis, & fictis titulis, sum ipso facto perpetuo suspensi absque spe obtinenda dispensationis à Sede Apostolica, & subjacente adhuc majoribus penis arbitrio Summi Pontificis infligendis.
- 40 Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos Sacros Ordines secundum aliquos est ipso facto suspensus a collatione utriusque Ordinis, donec à Sede Apostolica absolutionem, & dispensationem impetraverit; secundum plures alios non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus.
- 41 Ordinatus eodem die ad duos Sacros Ordines, an sit suspensus solum ab executione ultimi Ordinis illo die recepti, vel ab executione omnium?
- 42 Episcopus conferens Ordines Sacros atque celebratione missae graviter peccat, sicuti & graviter peccant ipsos Sacros Ordines extra missam recipientes, & tam Ordinans, quam Ordinatus possunt gravi poena puniri.
- 43 Ipsa missa debet celebrari ab eodem Ordinante, nec sufficit ut celebratur ab eodem Sacerdote coram illo.
- 44 Missa tamen celebratio non est de substantia Ordinationis: unde quavis collatio, & receptio Sacrorum Ordinum sine celebratione missae sit illicita, est tamen valida.
- 45 Hinc non est retrahenda tota Ordinatio, sed solum supplenda est missa ipsius Ordinantis, & donec suppletur dicta missa, remanens suspensus dicti Ordinatus.
- 46 Ordinans, & Ordinatus non expectatis temporibus

- interstitiis, graviter peccant, & uterque potest à Superiori puniri poena arbitria.
- 47 Alia ad rem, remissive.
- Ordines absque speciali dispensatione, seu privilegio, illicite, sed valide conferuntur, & suscipiuntur, extra tempora, vel ante legitimam aetatem, aut sine litteris dimissoriis: Communis quoad utramque partem. Et quidem quod primam partem, nempe quod illicite conferantur, & suscipiantur, est evidentissima, cum id sit contra gravem & expressam prohibitionem Ecclesiae, ut patet toto tit. de temporibus ordinationum, & eodem in 4. & cap. Illud 1. cap. De aliena 2. cap. Si quis ausus 3. cap. Clericos 4. cap. Primatus 7. & cap. Extraneo 7. dist. 71. cap. Quoniam 2. cap. Ordinationes 3. cap. Quod à Patribus 4. & cap. Ordinationes 7. dist. 75. cum plurimis similibus, Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. de reformat. sess. 23. cap. 8. & cap. 13. de reformat. & saepe alibi: Pii II. constitut. incipient. Cum ex Sacrorum: Urban. VIII. constitut. incipient. Speculatorum; & in aliis constitutionibus variorum aliorum Pontificum. Quoad secundam partem, nempe quod valide adhuc conferantur, & suscipiantur, clare constat ex variis Sacris Canonibus, & signanter cap. Consultationi 16. de temporibus ordinationum, ubi expresse definitur, quod Ordinatus ad Sacros Ordines extra tempora à Jure statuta sine ullo dubio characterem recipiant, ex cap. Cum quidam 8. cap. Quod translationem 11. cap. Vel non est compos 14. de temporibus ordinationum. cap. Saepe contingit 1. & cap. Eos qui 2. eod. in 6. ubi sic Ordinantes, & Ordinatus suspenduntur quidem à collatione, & respective ab executione Ordinum, at non declarantur invalidae Ordinationes. Et hoc quamvis in aliquibus canonibus praefata prohibentibus, dicitur irrita aliter facta Ordinatio, ut in cap. Si quis ausus 3. dist. 72. cap. Nullus 1. caus. 9. quest. 2. & aliis, quia dictum verbum irritum intelligendum non est, quod Ordinatio sit nulla, & invalida in se ipsa, ita ut non recipiat characterem, quia vere eum recipit, ut expresse cavetur in cit. cap. Consultationi 16. de temporibus ordinationum. sed intelligendum est, quod sit sine usu licito talis Ordinatio: Turrecremat. in citat. Canon. Sanchez opuscul. lib. 7. cap. 1. dub. 20. num. 14. Campanil. in Diversiori Juris rubr. 6. cap. 3. num. 18. Cardin. Petra tom. 5. commentar. ad constit. 7. Pii II. sect. unic. num. 1. & alii passim docentes, quod neque defectus aetatis, neque defectus dimissoriarum, aut statutorum temporum, atque hujusmodi, non servato praecipio Ecclesiae, infringant validitatem Ordinum collatorum, & receptorum.
- Si autem Episcopus ante Ordinationem protestaretur, se vere, & absolute non habere intentionem ordinandi eos, qui non habent legitimam aetatem, dimissorias, vel alia requisita necessaria, invalida esset Ordinatio illorum, qui ordinati essent contra dictam absolutam, & veram non retractatam intentionem Episcopi non Ordinandi; deficeret enim in tali casu intentio Ministri, quae necessario requiritur ad validitatem Sacramenti. Hinc Sacra Congregatio Concilii die 31. Januar. 1688. declaravit: "Nullam fuisse ordinationem quondam Simonis Tarcii, qui confectis sibi falsis dimissoriis accessit ad Episcopum N. qui agnoscens, vel saltem dubitans dimissorias esse subreptitias, protestatus fuit in ipsa ordinum celebratione Ordines expositi conferre, quoties ipse sufficientem haberet aetatem, ac dimissoriae verae, non adulteratae essent." Sic apud Monacell. tom. 2. tit. 13. form. 3. num. 43. & Card. Petram loc. cit. num. 5. in fine.
- Nec valet obijcere, quod Sacra Congregatio Concilii in una Portalesgren. 5. Aprilis 1704. declaravit, quendam Clericum, qui falsis dimissoriis ordinatus fuerat, fuisse valide ordinatum, non obstante quod Episcopus ordinans fuisset protestatus se non habere intentionem. Non valet, inquam, quia ideo Sacra Congregatio declaravit validam talem ordinationem, quia talis protestatio fuerat generaliter emissa à Secretario, & non ab Episcopo, & insuper ipse Episcopus interrogatus respondit, se habuisse intentionem faciendi in ordinandis eis, etsi

- requisitis carentibus, quod facit, & mandat Ecclesia, & sic non constabat de vera, & absoluta intentione negativa ipsius Episcopi ante ordinationem per ipsiusmet protestationem, & in quatenus adfuisset, constabat de retractione dictae negativae intentionis in actu ordinationis per supradictam suam confessionem, seu responsum. Sic Card. Petra loc. cit. num. 5. Monacell. loc. cit. num. 42. & tenent plures alii apud ipsos, aliique passim. Si vero dubium esset de vera, & absoluta intentione habita in tali protestatione, vel de mutatione intentionis prius expressae, tunc ordinatio saltem sub conditione reiteranda juxta stylum Poenitentiariae, de quo testatur Pignatell. tom. 4. consult. 140. num. 7. Monacell. cit. loc. num. 44. Card. Petra loc. cit. num. 6. & alii. Et sic pluries respondit Sacra Congregatio Concilii. & signanter in Aprutina ordinum 11. Januar. 1710. in Perusina ordinationis 19. Julii 1732. & in Ugentina 3. Augusti 1743. apud. Thesaurum resolutionum S. Congregationis Concilii dictorum annorum.
- Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam aetatem, suspenditur à collatione omnium ordinum. Communis, textu expresso in cap. Vel non est compos 14. de temporibus ordinationum. ibi: Praedictum Episcopum (qui puerum 13. annorum in Diaconum ordinavit) à collatione ordinum suspendentes. Non est tamen ipso Jure suspensus, sed solum per sententiam suspendendus; colligitur ex cit. cap. Vel non est compos, ubi Papa mandat, praedictum Episcopum per sententiam suspendi, ibi: Mandamus, quatenus si rem inveneritis ita esse, praedictum Episcopum à collatione ordinum suspendentes. Et. Et nullibi in Jure reperitur statuta suspensio latae sententiae contra Episcopum sic delinquentem; immo ex cap. Sane 2. de temporibus ordinationum. cit. cap. Vel non est compos, & aliis Juribus, est tantum suspendendus, Glossa penultima, & Interlinear. in Clementin. fin. de aet. & qual. Nec cit. constit. Pii II. incip. Cum ex Sacrorum: Suspensionem ipso jure imponens, loquitur de Episcopis male ordinantibus, sed solum de Clericis male ordinatis, ut ipsam legenti patet. Et Bulla Sixti V. incipient. Sanctum, & salutare: intelligens Suspensionem, aliasque poenas etiam contra Episcopos male ordinantes, moderata est à Clemente VIII. constitut. incip. Romanum Pontificem: & redacta ad dispositionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, necnon citatae constitutionis Pii II. Et sic tenent Card. Petra loc. cit. num. 32. cum Riccio, Ventriglia, & Thesaurio ibi citatis, Reiff. lib. 1. Deor. tit. 11. n. 184. & 176. Fagnan. in cit. cap. Vel non est compos n. 4. & alii passim.
- Episcopus sic suspensus à collatione ordinum, non est suspensus ab alio actu ordinum; unde, si talis Episcopus, durante illa suspensione, missam celebret, non efficitur irregularis. Abbas in cap. Cum dilectus numer. 20. vers. Si ergo suspensio, de consuetud. Rebuffus in praxi benefic. tit. de Clericis ad Sacros Ordines male promotis gloss. 2. num. 7. Reiffenstuel loc. cit. num. 175. Fagnan. in cit. cap. Vel non est compos numer. 45. & alii plures.
- Ordinati scienter in Ordinibus majoribus ante legitimam aetatem sunt ipso jure suspensi: Communis hodie ac certa ex constitut. Pii II. incip. Cum ex Sacrorum: ubi expresse declarat, quod qui ad aetatem ex Sacris Ordinibus se fecerint promovendi, ab eorum executione ipso jure suspensi sint. Et si, durante tali suspensione, in eisdem Ordinibus ministraverint, eo ipso irregularitatem incurrunt, & ultra poenas, possunt etiam privari beneficiis ecclesiasticis. Sic expresse cit. constitut. Pii II. Cum ex Sacrorum, ibi: "Et si hujusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare praesumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Praeterea ultra alias poenas in tales generaliter à Jure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint jure privari."
- Talis suspensio est perpetua, & tamen durat, quamdiu sic ordinati absolutionem non obtinuerint, quia cum sit simplex, & indeterminata, non stat in nobis eam limitare ad certum tempus: Jura enim, ubi voluit suspensionem esse temporalem, id solum exprimerent, ut in cap. Ros qui 2. de temporibus Ordinationum in 6. cum aliis

- allegatis per Glossam in Clementin. fin. in verb. Suspendi, de penis. Unde & Pius II. si voluisset suam suspensionem durare solummodo usque ad aetatem legitimam, hoc expressisset, sicut expressit Honorius III. in cap. Vel non est compos 14. de temporibus Ordinationum. arg. cap. Inter Corporalia 2. de translatione Episcoporum. §. Sed neque istud, cap. Quia circa 22. de privilegiis. & cap. Ad audientiam 12. de Decimis; sic Fagnanus in cit. cap. Vel non est compos num. 13. Gonzalez ibid. n. 7. Reiffenstuel loc. cit. n. 179. Card. Petra loc. cit. num. 13. & alii apud ipsos. Sic suspensi ob dolose receptos Sacros Ordines, & facti irregulares ob ministracionem in ipsis factam, durante suspensione solent recurrere ad Sacram Poenitentiarium, cum delictum est occultum, & Sacra Poenitentiarium solet concedere facultatem Confessorio eos absolvendi à suspensione, & dispensandi ab irregularitate, cum clausula: Dummodo de praesenti habeant aetatem, & solet injungere dicto Confessorio exequenti, ut tales Poenitentes per aliquod tempus sibi benevisum suspensos detineat ab Ordinibus: Marcus Leo in praxi Sacrae Poenitentiarium part. 3. in formul. à mala promotione ante aetatem pag. 290. & seq. Card. Petra loc. cit. n. 23. Quamvis tamen possint absolvi, & respective dispensari à proprio Episcopo vigore Concilii Tridentini sess. 24. de reformat. cap. 6. Vide verb. Irregularitas art. 3. n. 7. Si autem delictum evadat publicum, causa devolvitur ad Sacra Congregatio Episcoporum, & Regul. ut de simili casu testatur Card. Petra loc. cit. num. 24.
- Episcopus scienter ordinans aliquem extra tempora à Jure statuta sine dispensatione, aut privilegio, non est suspensus ipso Jure, sed suspendendus est per sententiam, & privandus potestate conferendi ordines, quos illicite contulit. Communis per textum in cap. Sane 2. & cap. Cum quidam 8. & cap. Literas 13. de temporibus ordinationum. Episcopus autem sic suspensus à collatione ordinum censetur solum suspensus à collatione illius ordinis, quem male contulit, & aliorum majorum; sed non à collatione inferiorum illius. Card. Petra loc. cit. n. 34. Abbas in cit. cap. Vel non est compos num. 5. Fagnan. ibid. num. 16. Reiffenstuel loc. cit. num. 182. & alii passim, arg. cap. Qualis hinc 4. distinct. 25. ibi: Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quod de quibusdam conceditur, juncto cap. Odia 15. & cap. In penis 49. de Regul. Juris in 6.
- Ordinati scienter in Sacris extra tempora sine legitima dispensatione, seu privilegio, sunt de facto ipso Jure suspensi. Sic expresse citata constitutio Pii II. incip. Cum ex Sacrorum: Unde non sunt amplius attendenda Jura antiqua in cap. Sane 2. & cap. Cum quidam 8. de temporibus ordinationum, ubi censebantur suspendendi per sententiam, & non suspensi ipso Jure.
- Sic suspensi, & consequenter ob ministracionem facti irregulares, si talis suspensio, & irregularitas sit occulta, possunt absolvi, & respective dispensari ab Episcopo virtute Concilii Tridentini sess. 24. cap. 6. Barbosa de officio. & potestate Episcoporum part. 2. allegat. 17. n. 14. Bonacin. de censuris disp. 3. quest. 6. punct. 5. num. 5. vers. Tertio, & alii passim. Si autem sit publica, Barbosa loc. cit. n. 14. docet, non posse absolvi, & respective dispensari nisi per Summum Pontificem, & testatur sic tenere Commune Doctorum, & nuncupatum de suspensione agentes adducit Rebuffum, Gutierrez, & Bonacinam: Oppositam tamen sententiam, scilicet proprium Episcopum posse ab hac suspensione, & irregularitate absolvere, & respective dispensare, probabiliter docent Suarez de censuris disput. 7. sect. 1. n. 18. Pirhing lib. 1. Decretal. 11. n. 107. Reiffenstuel ibid. n. 184. Armill. verb. Suspendio n. 22. Sylvester eod. verb. n. 8. vers. Tertium: Clement. 1. §. penult. verb. Excommunicationis, de Hereticis. Papa enim Pius II. in citat. constitut. non reservavit sibi talem absolutionem, & dispensationem, adeoque hoc ipso concessisse videtur facultatem absolvendi, & dispensandi Episcopo, ut in simili dicitur cap. Nuper 29. §. In secundo, de sententia excommunicatae citatis à Gutier. Canon. lib. 2. cap. 5. à princip. Concessum enim dicitur, quod expresse prohibitum non reperitur; leg. Necnon, ff. Ex quibus caus.

20 n Episcopus ordinans scienter alienum subditum sine dimissoriis, seu consensu sui proprii Superioris, est ipso facto suspensus per annum a collatione Ordinum. *Com. munit.* textu expresso in cap. Eos qui 2. de temporibus ordinat. in 6. & Concilii Trident. sess. 23. c. 8. de reformat. & in citat. constitut. Innocent. XII. incip. Speculatores: Episcopus autem sic suspensus censetur solum suspensus a collatione illius ordinis, quem male contulit, & aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius. Vide supra n. 16.

21 Ordinatus scienter ab alieno Episcopo sine dimissoriis, seu consensu sui proprii Ordinarii, sunt suspensi ipso facto ab executione susceptorum Ordinum, quamdiu proprio id Ordinario videbitur expedire; textu expresso in Concilii Trident. sess. 23. cap. 8. de reformat. & in cit. constitut. Innocentii XII. incip. Speculatores:

22 Ultra alias penas arbitrio Summi Pontificis infligendas in sic ordinatos ab alieno Episcopo sine dimissoriis, seu consensu proprii diocesanis, & in alienum Episcopum sic ordinatum, possunt insuper sic ordinati puniri privatione beneficii ecclesiastici, ut expresse statuit Pius II. in cit. constitut. incip. Cum ex Sacrorum: Et Episcopi sic ordinati puniri insuper possunt in hoc, quod postquam eorum suspensio fuerit manifesta, possunt sui subditi absque ipsorum licentia interim a vicinis Episcopis ordinari, ut expresse statuitur in cap. Eos qui 2. de temporibus ordinat. in 6. ut sic puniantur in eo, in quo deliquerunt, nempe quod sui subditi absque eorum licentia ordinentur ab aliis Episcopis, sicut ipsi alienos subditos sine priorum Superiorum, seu diocesanorum facultate ausi sunt ordinare.

23 Suspendio tamen sancta contra Ordinatos sine dimissoriis, licet non sit reservata Sedi Apostolica in cit. constitut. Pii II. incip. Cum ex Sacrorum: fuit tamen reservata propriis Episcopis a Concilio Trident. sess. 23. c. 8. de reformat. & a constitut. Innocentii XII. incip. Speculatores:

24 Suspendio tamen sancta contra Ordinatos cum falsis dimissoriis est reservata Summo Pontifici, ut expresse statuit Urbanus VIII. constitut. incip. Secretis: Item Summo Pontifici est reservata suspensio lata contra eos, qui postquam permanserunt per quatuor menses in Urbe, faciunt se promoveri extra Urbem cum literis dimissoriis proprii Ordinarii, ut expresse fuit statutum per publicum edictum tempore Clementis VIII. & Alexandri VII. Vide supra art. 3. n. 76. Item reservata est Summo Pontifici suspensio lata contra Ordinatos ex sex Episcopatibus Cardinalitatis prope Urbem cum literis dimissoriis ab alio, quam a Cardinali Vicario; sic expresse statuit Alexander VII. constitut. incip. Apostolica sollicitudo:

25 Ab irregularitate incurra propter administrationem in Ordinibus sic male susceptis, si sit publica, dispensat solum Summus Pontifex; Campanil. in diversorio Jur. Rub. 7. cap. 6. num. 2. Card. Petra loc. cit. n. 28. & alii passim: Si autem esset occulta, tunc posset dispensare Episcopus vigore Concilii Tridentini sess. 24. de reformat. cap. 6. ubi statuit, quod Episcopi possint dispensare in irregularitatibus occultis, exceptis iis, quae oriuntur ex homicidio voluntario, Barbosa ad cit. cap. 6. sess. 24. de reformat. num. 12. & de officio. & potest. Episcoporum. alleg. 39. num. 41. Campanil. loc. cit. Card. Petra loc. cit. & alii passim.

26 Episcopus scienter ordinans aliquem ad Sacros Ordines sine titulo sustentationis, ultra grave peccatum, quod committit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiae in materia gravi, tenetur eidem sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur; Communis, textu expresso in cap. Episcopus 4. & cap. Cum secundum 16. de praebendis. Et ipso Episcopo ordinatore jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis Capitulum, si sede vacante, & deinde novus Episcopus; textu expresso in cit. cap. Cum secundum 16. de praebendis: ibi: "Tamdiu per Ordinatos, vel Successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur." Immo si Clericus sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus Episcopis, domicilium videlicet, & originis, recipiendo, ut ab Episcopo ori-

gnis Diaconatum, & ab Episcopo domicilii Presbyteratum, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis, Fagnani in cit. cap. Cum secundum 16. de praebendis, num. 24. Reiffenst. loc. cit. num. 192. & alii passim.

27 Quinimo ne dum Episcopus sic scienter ordinans, sed etiam Episcopus sic scienter dans licentiam alteri Episcopo promovendi, vel certis, & determinatis promovendis ad Sacros Ordines sine titulo, tenetur ipsius alimonia praestare, textu expresso in cap. Si Episcopus 37. de praebendis. in 6. ubi assignatur justa ratio, quia nempe Episcopus, antequam det talem licentiam pro determinatis personis ab alienis Episcopis ordinandis, providere debet, an habeat titulum, & repertis sine titulo, nequit talem facultatem concedere: Si vero Episcopus alienus ex generali commissione, & licentia Episcopi diocesanis ordinationes habeat, & scienter ordinet aliquem sine titulo, tunc non tenetur propriis Episcopis, ut potest sine culpa, sed alienis Episcopis, ut potest in culpa fuit, alimenta praestare sic ordinato, textu expresso in cit. cap. Si Episcopus 37. de praebendis. in 6.

28 Talis autem obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo incumbit Episcopo solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem, puta ex sua, vel paterna hereditate; sic enim expresse limitatur in cit. cap. Episcopus 4. de praebendis, ubi: Nisi talis ordinatus de sua paterna hereditate subsidium vitae possit habere. Item talis obligatio incumbit Episcopis solum, quando scienter sine titulo ordinant, vel concedunt illi determinatam facultatem aliquas certas personas sic ordinandi, & sic ordinati bona fide, & absque dolo, & fraude propria talis Ordines susceperunt. Non autem quando sic ordinati fuerunt ipsi soli in culpa decipiendi Episcopos, ac fingendo per fraudem titulum, quem non habebant, tunc enim Episcopi non tenentur alimenta praestare sic Ordinatis, cum ipsi Episcopi, ut supponitur, sint quoad hoc sine culpa; & rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit, ut expresse dicitur in cap. Cognoscens 2. de constitutionibus. (Vid. verb. Monitorium num. 50. & Restitutio, art. ultim. n. 27.) & ipsi soli sic ordinati sint in culpa, dolo, & fraude, quae patrocinari non debent; cap. Sedes 15. cap. Ex tenore 16. de Rescriptis; cap. Ex literis 2. de dolo, & contum. cap. Tux 12. de Cler. non resid. leg. In fundo ff. de rei vindic. leg. Cum hi ff. de Transact. leg. Si Legatarius cod. de Legatis, & cum similibus: Ne videantur de sua malitia commodum reportare; cap. Intelleximus 7. de iudicis, leg. Nemo ex suo delicto ff. de Regulis Jur. Et sic tenent Fagnan. in cit. cap. Cum secundum 16. de praebendis, num. 62. Ugolin. de Officio. & potest. Episcoporum. cap. 26. §. 15. vers. Tertio non tenentur: Pirhing. lib. 1. Decretal. tit. 11. n. 111. Reiffenst. ibid. n. 193. & 198. & alii passim. (Vid. verb. Pascua, lit. E pag. 175. num. 51.)

29 Si Episcopus aliquem ordinet sine titulo sub pacto, & promissione, quod ordinatus non possit exposit ab ipso petere alimenta, tunc Episcopus ordinans suspenditur a collatione Ordinum per triennium, & sic Ordinatus est perpetuo suspensus ab Ordine recepto, donec a Summo Pontifice dispensetur; textu expresso in cap. Si quis ordinavit 45. de Simonia.

30 Si Episcopus Religiosum nondum professum, aut non nisi ad certum tempus, ordinet ad Sacros Ordines sub praetextu Religionis, & absque titulo beneficii, vel patrimonii, tunc est ipso iure suspensus per annum a collatione talium Ordinum, & Religiosus sic ordinatus est suspensus ab executione Ordinum, donec beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat, unde vivere possit. Et si interim in ipsis Ordinibus ministraverit, efficitur irregularis: Sic expresse statuit S. Pius V. const. incip. Romanus Pontifex: Excipiuntur tamen Patres Societatis Jesu, qui tria vota pauperitatis, castitatis & obedientiae in Societate emiserunt, quia isti de licentia Praepositi Generalis possunt promoveri ad Sacros Ordines absque titulo etiam ante solemnem Professionem. Vide supra art. 2. n. 68. & 69.

31 Promoti ad Sacros Ordines cum falsis, & fictis titulis, sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe obinendae dispensationis a Sede Apostolica, & subijcent adhuc majoribus penis arbitrio Summi Pontificis infligendis: Sic expresse statuit Urbanus VIII. const. incip. Secretis:

32 Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos Sacros Ordines, secundum aliquos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque Ordinis, donec a Sede Apostolica absolutioem, & dispensationem impetraverit: Sic Reiffenstuel loc. cit. num. 205. Barbosa in cap. Literas 13. de temporibus ordinat. cum aliis ibi citatis arg. cit. cap. Literas 13. §. final. & cap. Dilectus 15. de temporibus ordinat. Secundum autem plures alios non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus; Pirhing in Jus. canonic. tit. 10. de temporibus ordinat. n. 108. Layman de Sacri Ordinis. 1.5. cap. 10. n. 10. Suarez disp. 31. sect. 1. n. 41. Pignatelli tom. 4. consulti. 228. n. 5. Card. Petra loc. cit. n. 49. Thesaur. de penis p. 2. cap. 15. §. 4. vers. Episcopus confertur: ubi testatur de communi: Suspendio enim, de qua in cit. cap. Literas, & cap. Dilectus, de temporibus ordinat. non est lata sententia respectu Ordinantis, sed solum sententia ferenda: Hinc Sac. Congreg. Conc. in Boveni 7. Maji 1707. respondit: Quoad Ordinatum dandam esse absolutioem, imposita penitentia salutari arbitrio Episcopi vicinioris (quia Episcopus fuerat particeps actionis prohibita): Quo vero ad Ordinatum, ad mentem, ut scilicet non solum acriter cogatur, sed etiam acriter moneatur, quod licet ipsi graviter esset poena infligenda, quia plus deliquit scienter conferendo dictos Ordines Sacros eodem die; attamen ex benignitate Sacrae Congregationis omnis poena pro hac vice ei remittitur, quodque in posterum a similibus committendis omnino absteat: Sic Card. Petra loc. cit. num. 40. qui tamen supra in comment. ad can. constitut. 7. Pii II. n. 44. refert, quod casus in dict. Boveni propositus erat: "An Ordinatus eodem die ad minores, & Subdiaconatum, & ille, necnon Episcopus ordinans in poenas, & quas incidit?" Et postea sub num. 48. refert dictam resolutionem Sacrae Congreg. Concilii emanatam esse respectu Clericorum, qui scienter receperunt, & respectu Episcoporum, qui scienter contulit minores cum Subdiaconatu eodem die.

33 Ordinatus eodem die ad duos Ordines Sacros, secundum aliquos, est suspensus solum ab executione ultimi Ordinis Sacri illo die sibi collati: sic Barbosa in cap. Cum literas 13. de temporibus ordinat. num. 5. & p. 2. de officio. & potest. Episcoporum. alleg. 14. num. 11. citans alios, Reiffenstuel loc. cit. num. 208. Layman loc. cit. cap. 10. num. 10. & alii arg. cit. cap. Literas 13. de temporibus ordinat. & cap. 2. De eo, qui furtive. Alii autem dicunt, Ordinatum ad duos Sacros Ordines eodem die esse suspensum quoad omnes Ordines receptos, Navarr. in Manual. cap. 27. num. 241. & alii, quos refert Thesaur. in panis p. 2. cap. 15. §. Recipiens duos Sacros: Sed quidquid sit circa intelligentiam cit. cap. Literas, aliorumque Testum id prohibentium, tollitur difficultas ex cit. const. Pii II. incip. Cum ex Sacrorum: contra male promotos, ut suspensi maneat indefinite loquendo: Scortia ad dictam Bullam, theorem. 108. Pirhing in Jus. canonic. tit. 11. de temporibus ordinat. §. 11. Unde Sac. Congreg. Concilii indiscriminatim hujusmodi Ordinatos supponit incursum in suspensionem, & concedit non solum absolutioem, quae reservata est Sedi Apostolicae, sed etiam dispensationem ab irregularitate ob administrationem Ordinum in fortioribus terminis Ordinatorum eodem die in Ordinibus minoribus, & Subdiaconatu, ut in d. Boveni 7. Maji 1707. in Neapolitana 6. Aug. 1711. & in Meleuitana 12. Maji 1714. Sic praecise apud Card. Petram loc. cit. num. 48.

34 Episcopus confertens Ordines Sacros absque celebratione Missae graviter peccat, sicut & graviter peccant ipsos Sacros Ordines extra Missam recipientes, & tam Ordinans, quam Ordinatus possunt gravi poena puniri, quia agunt contra Ordinationem Ecclesiae, & contra illud, quod ipsa Ecclesia servat: Sic Glossa in cap. Quod sicut 28. de electione. verb. Dividatur: Card. Pe-

tra loc. cit. num. 50. & alii passim observantes, quod semper fuerunt Sacri Ordines collati cum celebratione Missae Ordinantis, & quod Sacrum Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 8. de reformatione voluit, collationes Sacrorum Ordinum in Cathedrali Ecclesia inter Misarum solemniam publicae celebrari.

35 Ipsa Missa debet celebrari ab eodem Ordinate, nec sufficit, ut celebretur ab alio Sacerdote coram illo, qui debet esse unicus actus consecrationis, ut in simili, nempe de consecratione Episcopi, recte notant Glossa in cit. cap. Quod sicut 28. de electione. verb. Dividatur: Hallier de Sacri Ord. p. 2. cap. 5. art. 2. Card. Petra loc. cit. num. 39. & ipso teste alii communiter.

36 Missae tamen celebratio non est de substantia, & essentia ordinationis, unde quamvis collatio, & receptio Sacrorum Ordinum sine celebratione Missae sit illicita, est tamen valida: Sic expresse Glossa in cit. cap. Quod sicut, verb. Dividatur: Barbosa p. 2. de officio. & potest. Episcoporum. alleg. 14. num. 16. & ad Concilii Tridentini sess. 23. cap. 8. num. 14. Giribald. tract. 9. de ordine cap. 3. dub. 4. num. 35. Sanchez in opuscul. moral. lib. 7. cap. 1. dub. 6. Campanil. in diversorio Jur. Cambr. 2. num. 36. & Rubr. 5. cap. 3. num. 21. Card. Petra loc. cit. num. 41. ubi testatur de communi Theologorum, & Canonistarum.

37 Hinc non est reiteranda tota ordinatio, sed solum supplenda est Missa ipsius ordinantis, & donec suppletur dicta Missa, remanent suspensi ordinati: Glossa loc. cit. Hallier loc. cit. cap. 5. art. 2. Sanchez loc. cit. dub. 13. qui ait, omnem suppletionem debere fieri ab eodem, qui ordinavit, si est possibile; quod fieri nequeat, ab alio, necnon in tempore, quo ordinationes possunt celebrari, Campanil. cit. Rubr. 2. num. 36. ubi advertit, quod Missa debet suppleri cum omnimoda cautela, ne ceteris innotescat error, ac propterea consulti, ut patiens defectum accedat quasi Minister Episcopi.

38 Ordinans, & ordinatus, non expectatis temporum interstitiis, graviter peccant, quia uterque est voluntarius, culpabilisque transgressor Sacrorum Canonum in materia gravi. Et quamvis in Jure nulla reperitur expressa poena contra ipsos, potest tamen Superior eos punire poena arbitraria; Zerola in praxi Episcoporum. part. 1. verb. Ordo §. Ad quintum, Reiffenstuel lib. 1. decret. tit. 11. n. 203. & 204. Barbosa part. 2. de officio. & potest. Episcoporum. alleg. 18. n. 14. cum plurimis ibi citatis.

39 Alia vide verb. Interstitia.

40 Ordines quinam suppleri debeant a Clericis Graecis, qui ritu Latino ad superiores ordines sint promovendi, declaravit Benedictus XIV. tom. 11. constitut. 57. incip. Etsi Pastoralis §. 7. Vide supra verb. Graeci. Ordinandus examinari debent in doctrina christiana: Idem constitut. 42. incip. Etsi minime §. 10. Ordinandi docere debent, se operam dedisse instruendis fidelibus in doctrina christiana: Idem ibid. §. 6.

41 Ordinationes Ministrorum Ecclesiae cum magno delectu fieri jubentur: Idem constitut. 2. incip. Ubi primum §. 1. Ordinatio infantis est illicita, sed valida: Idem constitut. 129. incip. Eo quamvis tempore §. 20. & 25. Ordinationes Graecorum quibus legibus, & ritibus fieri debeant, declarat idem Pontifex constitut. 57. incip. Etsi Pastoralis §. 7. Vide supra ad verb. Graeci. Ordinationes Graeco-Ruthenorum ad Ecclesiam aethiopicam redeuntium, Episcopo Auxerrensi delegantur: Idem constitut. 63. incip. E sublimi.

42 Ordinatus in infantili aetate non tenetur ad onera Ordini Sacro adnexa, nisi ordinationem ratam habuerit, sive expresse, sive tacite: Idem constitut. 129. incip. Eo quamvis tempore §. 20. 23. & 26. Quare pro Ordinatis apud Coptos ad Diaconatum in infantili aetate prescribitur exploratio voluntatis, quae fiat ad normam Concilii Toletani secundi post expletum annum decimum sextum: Idem ibid. §. 27. & 28. Si quis secularia vota elegerit, suspensus erit ab exercitio Ordinis Sacri: Idem ibid. §. 22. Nec tenentur ad recitationem horarum canonicarum: Idem ibid. §. 28. Et nuptias, etiam iterato, contrahere poterit: Idem ibid. §. 28. & 29. Eligentibus autem perseverare in minis-

terio Ecclesie prohibentur secundæ nuptiæ, & omnis bigamia sub pena depositionis: Idem *ibid.* §. 30. 31. & 32.

55 Ordinatus ad Ordinem Sacrum ante pubertatem non tenetur serrare onera Ordini adnexa, nisi ratam habuerit ordinationem, sive expresse, sive tacite: Idem *ibid.* §. 23. Nec ministrare potest in Ordine suscepto ante complementum ætatis legitimæ: Idem *ibid.* Ordinatus per vim non adigitur serrare onera Ordini adnexa: Idem *ibid.* §. 21.

58 Ordinati per saltum, vel aliâs male promoti, dispensationem obtinere possunt in casibus occultis à Pœnitentiaria Apostolica. Benedic. XIV. constit. 95. *Pastor Bonus* §. 18.

59 Ordinati à schismaticis exercitium Ordinis non recipiunt: Sed absolutionem recipere tenentur, & dispensationem ab irregularitate, & schisma, erroresque abjurare. Idem constit. 57. *incip. Esi Pastoralis* §. 7.

60 Non ordinati ad Sacrum Presbyteratus ordinem, qui Missam celebrasse, aut Confessiones Sacramentales audisse reperti fuerint, Curie Seculari puniendi tradi debent. Idem constit. 97. *incip. Sacerdos*: Ordinationis probatio in tali casu à Reo faciendâ est, nec incumbit Fisco onus eam excludendi, ubi ex relatione Ordinarii constat eum non promotum fuisse: Idem *ibid.*

62 Ordinationes Regularium, an ad Episcopos diocesanos private spectarent, olim disputatum fuit: Idem tom. 2. constit. 27. *incip. Impositi Nobis*: Gregorius XIII. & Clemens VIII. spectare decreverunt, nisi Episcopus extra diocesim maneat, aut ordinationes non sit habiturus: Idem *ibid.* Id. confirmatur ab Innocentio XIII. exceptis his Regularibus, quibus privilegium recipiendi ordines à quocumque post Concilium Tridentinum specialiter concessum fuerit: Idem *ibid.* Idipsum confirmat Benedic. XIII. sub pœnis contra suscipientes ordines ab eo, qui non est proprius Episcopus, & contra ordinantes alienos subditos sine eorum Ordinarii licentia in Jure statuti: Idem *ibid.* De absentia vero Episcopi à propria diocesi, vel quod ordinationes in temporibus habiturus non sit, autentica testimonia afferri jubet, subscripta nempe, vel à Vicario Generali, vel à Cancellario, aut à Secretario ejusdem Episcopi diocesanis, hisque deficientibus, dimissorias nullas haberi decernit: Idem *ibid.*

67 Privilegia recipiendi ordines à quocumque, nisi post Tridentinum Concilium alicui ordini Regulari nominatim, & directe, non autem in communicatione privilegiorum, concessa fuerint, vel ante illud concessa, postmodum in forma specifica, cum insertione veteris Indulti, confirmata sint, nullatenus suffragari decernit: Idem *ibid.* Privilegia recipiendi ordines à quocumque, vult cum summa moderatione in usum esse deducenda, & nunquam sine justa causa, nec extra debitas circumstantias pro libito ostendendam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem: Idem *ibid.* Hujusmodi privilegii concessio per se non probat exemptionem ab Ordinarii jurisdictione, quum maxime olim in odium simoniacæ pravitatis indulgeri contingeret: Idem *ibid.* constit. 40. *incip. Causarum Palatii Apostolici*:

70 Privilegia recipiendi Ordines extra tempora Regularibus indulta non arctant Episcopos diocesanos ad eos ordinandos extra tempora, vel dimittendos ad ordinationem sibi suscipiendam: Idem in cit. constit. *Impositi Nobis*. Vide in addition. *quod verbum Ordo*, ubi datur Summarium dictæ constitutionis. Ordinatio ad titulum Religiosæ paupertatis, an ratificanda censenda sit professionem initio nullam, adhuc disputatur, donec à Sanctissimo, ut in præmissis, cum aliis similibus questionibus, explanetur, & decidatur: Idem constit. 47. *incip. Si datam*:

72 Pro ordinum collatione nihil à collatoribus, aut eorum Ministris, etiamsi sponte oblatum, est accipiendum: Sic expresse Concil. Tridentinum *sess. 21. cap. 1. de reformatione*, ubi: "Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam

spontè oblatum, Episcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum Ministri quovis prætextu accipiant." Benedic. XIV. de Synod. diocesana lib. 5. cap. 6. n. 1. Vide tamen tom. 7. verb. *Taxa num. 1.*

Sacerdotio initiandum, qui licet omnes consuetas manuum impositiones ab Episcopo accepisset, ad Episcopum tamen, solita patenæ cum hostia, & calicis cum vino, instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporibus distractus non accessit, iterum sub conditione esse ordinandum, respondit Sacra Congreg. Concil. teste eod. Benedic. XIV. *loc. cit. lib. 7. cap. 25. n. 1. & 13.* qui *ibid.* n. 2. ex Isamberto de Sacram. Ordin. disp. 3. art. 6. dicit, sane ridiculam, & plane absurdam esse opinionem illorum, qui tenent ante impressionem Evangeliorum in ordinatione Diaconorum, fuisse eis traditam loco libri Evangeliorum chartam, in qua Fidei nostræ mysteria erant conscripta.

Episcopus ordines collaturus laudabiliter sub censuris præcipit, ne quis canonico impedimento irretitus, aut sine legitimo patrimonio, vel beneficio ad Sacros Ordines accedat; sed improbari Episcopi protestatio, se non habere intentionem Ordinandi irregulares, censuris innodatis, legitimo patrimonio, aut beneficio, vel literis dimissorialibus sui Ordinarii carentes, cum ex ipsa variè oriuntur animi anxietates, & etiam prudens dubitatio excitetur, num revera quis fuerit legitime ordinatus, eo quod aliquo ex enuntiatas impedimentis esset obstructus: Idem *loc. cit. cap. 26. n. 1.* Si quis aliquo ex his impedimentis detentus ordinetur sub tali protestatione, cui alligata fuerit Episcopi intentio, erit iterum absolute ordinandus; si dubia sit Episcopi intentio, Ordinatio sub conditione erit iteranda: Idem *ibid.* n. 2. Vide supra verb. *Ord. art. 4. n. 4. & 5.* ubi ad id varia afferuntur decreta Sacre Congregationis Concilii. Quare ad evitandas omnes dubietates, & securius procedendum, expedit, ut Episcopus se absteat à simili protestatione, & prius diligenter inquirat de ordinandorum omnimoda idoneitate, & postea in actu ordinationis ordinum, absolutam habeat intentionem omnes ordinandi, quotquot ad ordinationem accesserint: Idem *ibid.* n. 2.

Ab ordinibus suspensus, ad superiorem ordinem ascendens, licet grave committat sacrilegium, non incurrit tamen irregularitatem, nam sic non exercet ordines, à quibus est suspensus, ad incurrendam irregularitatem indictam in cap. Apostolica 9. de Clerico excommunicato, depositis, vel interdictis ministrantem, cap. 1. de sentent. excommunic. in 6. & cap. 1. de sentent. & re judicata pariter in 6. Idem *ibid.* lib. 7. cap. 67. n. 7. ubi refert, sic censuisset Sacra Congreg. Concil. in Carinolen. seu Neapolitana ordinationis die 31. Jan. 1688. & multos ad id adducit etiam Doctores contra alios oppositum sentientes.

Episcopus potest ob crimen occultum, etiam extrajudicialiter cognitum, Clericis interdiciere ascensum ad ordines superiores, & susceptorem ministerium, seu exercitium: Idem *loc. cit. cap. 71. a. n. 3. ad 5.* scite ad id adducens Conc. Trident. *sess. 14. c. 1. de reform.* & decreta Sacre Congr. ejusdem Conc. in Aleriensis die 24. Novemb. 1657. in Capitanen. 16. Decemb. 1730. & in Oritana seu Tarentina 20. Augusti 1735. ut in Theodoro resolutionum tom. 5. & 7. Et adeo verum est, quod Episcopus, virtute prædicti decreti Concilii Tridentini ex causa sibi nota Clericum interdiciere tam Sacrorum exercitio, quam ascensu ad altiores ordines, ut neque teneatur "causam suspensionis, sui delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit," quod præcisè verbis respondit Sacra Congreg. Concil. Episcopo Verceilensi die 21. Martii 1643. lib. 7. decret. pag. 170. & seq. Et universim loquendo, Episcopum renuentem alicui ordines conferre, nullo jure obstringi ad manifestandam causam, cur eum repellat, neque ei, qui repulsus est, ullam competere appellationem, sed tantum permitti adire Sedem Apostolicam, eique suas querelas exponere, declaravit eadem Sacra Congregatio in Remensis die 21. Apr. 1668. apud ipsam num. 4. qui *ibid.* num. 5. subjungit, quod si sit ab Episcopo suspensus, ni-

nihilominus appellationem interponere, ejusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidat in irregularitatem, uti, quidquid in contrarium senserint nonnulli Doctores, expresse definit Sacra Congreg. Concil. in Sagomen. 21. Junii 1625. lib. 24. positionum pag. 1. ubi: "Episcopus Sagomenis ex facultate sibi attributa decreto Concilii cap. 1. *sess. 14.* ex causis sibi notis suspendit Parochum ab exercitio Curæ, sed ille appellavit, & Curam exercuit. Queritur, an à dicta suspensione detur appellatio, ita ut Parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium Curæ effectus fuerit irregularis? Sacra Congreg. Concilii censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, & Parochum, qui Sacramenta, ut supra, ministravit, irregularitatem contraxisse." Hæc ille, qui subjungit, id tamen ab Episcopo non debere in Synodo stari, & declarari. Vide tom. 7. verb. *Suspensio art. 7. per tot. & signatur. n. 22.*

Idem dicit, arg. 3. num. 82. advertendum est, quod à resolutione Sacre Congregationis Concilii in Pientina, seu Ilcenen. Ordinationis sub die 18. Julii 1733. adducta ibi, & in tom. 7. in appendice Pientina, seu Ilcenen. Ordinationis eadem Sacra Congregatio die 8. Augusti ejusdem anni 1733. recessit quoad tertium, & quartum dubium, re proposita enim causa ex noviter deductis sub dubium: An quoad III. & IV. dubium sit standum vel recedendum à decisis die 18. Julii proxime præteritis in casu? Eadem Sacra Congregatio dicta die 8. Augusti 1733. respondit: Quoad tertium recedendum à decisis, ad quartum vero consulat conscientia sua. Sic apud Theodoro resolutionum Sacre Congreg. Concilii tom. 6. in dict. Pientina, seu Ilcenen. Ordinationis sub die 8. Augusti 1733. in cuius expositione clarissim. mem. Eminentiſſimus Cardinalis de Lanfredinis, tunc ejusdem Sacre Congregationis Secretarius plura eruditissime tradit ad rem. Et signanter quod testimoniales literas impetrari oportet ab Episcopo originis, etiamsi quis inde discesserit in tali ætate, in qua nullum Canonicum impedimentum contrahere potuerit (ac proinde in casu quo de natalibus solum, ac de ætate testari queat Episcopus originis), ut deducitur ex resolutione edita in Laquedonien. seu Bituntina Ordinationis 16. Novembris 1709. ut in lib. 19. decret. pag. 365.

Et scite advertit, quod magna intercedit differentia inter literas dimissorias, & literas testimoniales. Nam literæ dimissoriæ exprimit traditam facultatem, ut alter Episcopus possit Clericum illum ad Ordines promoveri; literæ autem testimoniales non hanc facultatem impertuntur, quia supponunt faciendam Ordinationem ab alio Episcopo non indigentem traditione hujus facultatis, sed ea potius jure suo; solumque continent testimonium, quod Clericus promovendus sit dignus, cui tales Ordines conferantur, quemadmodum hæc diversitas clare deducitur ex literis utriusque generis, quarum formulam tradit Monacell. tom. 1. tit. 4. formul. 3. & formul. 6. Sed si istiusmodi literæ nullum exprimentes respectum promotionis in O-dines, approbarentur tamquam idoneæ, & Bulla Innocentianæ satisfaciens ad suscipiendos ab alio Episcopo Ordines, factis sterneretur via fraudibus cum mediocri ecclesiasticæ disciplinæ discrimine, quemadmodum conquestus fuit Episcopus Pientinus sic scribens: "Si de testimonialibus agatur, non inficior, quod à mea Curia concessæ fuerint Clerico Laurentio Medichesco paulo ante ejus discessum, & præsertim Clericis omnibus illas postulantibus, & præsertim discessuris conceduntur, sed limitate ad mores, & absque ullo prorsus respectu ad Ordines suscipiendos, de quibus nec per umbram fuit cogitatum. Et infra: "Prius audivi dictum Medichesium celebrasse mis-

ssam in hac mea diocesi, quàm fuisse ordinatum." Literæ autem testimoniales concessæ ab Episcopo Pientino Clerico Medichesco sunt istæ: "Testatur Clericum Laurentium Medicheschi nostræ diocesis in minoribus Ordinibus constitutum, nullo excommunicationis, irregularitatis, aut cujusvis aliter canonici impedimenti vinculo, saltem quoad postulatam, innotatum existere, neque ullo crimine scolarum, sed esse bonis, & honestis moribus præditum, ac talem, qualem in sortem Domini vocatos decet." Quibus omnibus, aliisque diligenter ponderatis, eadem Sacra Congregatio die 8. Augusti 1733. prudentissime recessit à decisis sub die 28. Julii ejusdem anni 1733. quoad tertium dubium propositum sub his verbis: "Tertio: An literæ testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab Episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam Ordinationem? & resolutum: Ad tertium Affirmative in casu, de quo agitur." Et quoad quartum dubium propositum sub his verbis: "Quarto: An & qui Ordines contulit, & qui eos suscepit, incidant in penas statutas à Sacro Concilio Tridentino, & à Bulla Spiculatores in casu &c. ac resolutum: Ad quartum Negative." Quibus postea repositis die qua supra his verbis: "An quoad tertium, & quartum dubium sit standum, vel recedendum à decisis die 18. Julii proxime præteritis in casu &c." Respondit: "Quoad tertium recedendum à decisis. Ad quartum vero consulat conscientia sua." Hæc apud laudatum Eminentiſſimum de Lanfredinis *loc. cit.* Vide ibi, ubi plura alia erudite congesta ad rem.

In Sacra Congregatione die 31. Martii 1685. agitarum est, num Clericus qui falsaverat testimoniales Ordinum præcedentium, adeoque veru censuratum, quæ in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi Ordinem Subdiaconatus, qui tunc sibi ab Episcopo conferebatur, re ipsa ordinatus esset? Respondit vero die 24. Augusti ejusdem anni, esse iterum ordinandum sub conditione, nam illa animi perturbatione, qua agitabatur Clericus, non satis constare poterat, utrum verum animum suscipiendi Ordinem non haberet: *Utrumque Missæ lib. 7. cap. 10. §. 12.*

In Canone Neminem dist. 79. pœna suspensionis statuitur, si quis Ordines accipiat absque sufficienti patrimonio: "Decrevit Sancta Synodus vacuum haberi manus impositionem." In alio Canone Sanctorum id ipsum verbis hisce descendit: "Decernimus, ut sine titulo facta Ordinatio irrita habeatur." Innocentius III. in cap. Cum secundum, de Præbend. & Dignitat. serventer hanc veterum Canonum mitigavit, & obstringit eum, qui haud ignarus fraudis, atque impari patrimonio, contulerit Ordines, ut subministrat Ordinato necessaria ad vitam agendas; "Licet autem Prædecessores nostri Ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in injuriam Ordinum irritas esse voluerint, & inanes: Nos tamen benignus agere cupientes, tandiu per Ordinatos, vel Successores eorum provideri volumus Ordinatus, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur." Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 2. de reformat.* iterum præscripsit veterum Canonum pœnas illis, qui titulo impari beneficii, sive pertinentis ad alium quempiam, aut patrimonii facti ordinantur: "Antiquorum Canonum pœnas suæ per ipsos innovando." Sixtus V. in sua constit. 91. rursus confirmat suspensionis pœnam à priscis sanctionibus inflictam, & Clemens VIII. in sua constit. 40. iis terminis concludit Sixtinam, qui decernuntur à Concilio Tridentino.

Patet ex his, quod, ut recte judicetur, an Ordinatus titulo impari beneficii, vel ad alium quempiam pertinentis, aut patrimonii facti, incurrat suspensionem, investigandum sit, an Concilium Tridentinum, dum veterum Canonum decreta renovavit, pœnam suspensionis promulgaverit, vel solum edixerit, ut qui fraudis concitus Ordines ministraverit, alimenta præstare debeat Ordinato, donec honestam vitæ sustentationem alio pacto consequatur?

Sacra autem Congregatio Concilii Interpres, cui hæc 92 in

in re standum omnino est, poenam superius expositam solummodo in eum, qui Ordines contulerit, renovatam asseruit, non item suspensionem, nisi forte Ordinatus fuerit ante conscius doli, & Ordinatore ipsam in fraudem adduxerit. Tunc enim eadem suspensionis poena liberari nequit, uti die 27. Novembris anno 1610. constitutum fuit: "Sacra Congregatio Concilii, proposito sub-
 »prascripto dubio, omnium sententiis censuit hoc casu
 »poenam suspensionis ante Concilium non esse correc-
 »tam, & hodie à Tridentino Concilio esse innodatam,
 »& propterea hujusmodi Clericum, qui adhibito dolo,
 »confictoque titulo Ordinatore deceptus, esse ipso jure
 »suspensum, carereque Ordinum executione." Confer
 Fagnanum in cap. Cum secundum num. 63. usque ad
 finem, de Præbend. §.

(Recognoscantur præsertim leges usque ad num. 37. inclusive in. 6. p. 1. ubi permulta ex adnotatis, & hic animadversis reperies, maxime ea, quæ videntur obser-
 vantiam retinuisse, dum hoc corpus legislativum fuit
 efformatum: (Vid. verb. Blasphemia.) nihil magis exten-
 ditur, eo quod de omnibus in eisdem legibus contentis,
 si bene hoc opus scrutaris, fit mentio: ad verba respectiva
 Lectorem remitto.)

ORDO, PROUT EST IMPEDIMENTUM
 Matrimonii.

Vide verb. Impedimenta art. 2. à num. 1. ad 7.

ORGANA.

Vide verb. Musica num. 20. verb. Paramenta nu-
 mer. 37. & verb. Sacerdos num. 53.

OSTIARIATUS.

Vide verb. Ordo, Ordinare art. 1. num. 3. 4. 28. 29.
 ad 30.

OMISSÆ ADDITIONES

HUJUS TOMI SUBNECTUNTUR.

Lit. M, pag. 26. col. 2. post num. 45.

† Quæ addita sunt hic circa fin. jam fuerant à me
 tradita sub verb. Filius à num. 113. ad 119. præsertim
 quod filius non teneatur credere matri asserenti ipsum
 natum esse ex adulterio; & quod derisus fuerit, &
 adhuc in dies derideatur Rex, qui ad confessionem matris,
 in quod natus erat ex adulterio, regno se abdicavit.
 Vide ibi multa ad rem. †

Pag. 86. col. 2. lin. 5.

† Ast quamvis Sacrificium Missæ in se & in actu
 primo, quatenus exprimit virtutem, & sufficientiam sacri-
 ficium Crucis, habet valorem infinitum, sacrificium
 tamen Missæ quantum ad applicationem, & in actu
 secundo, de quo loquitur mea conclusio, habet revera
 fructum, seu valorem tantummodo finitum; quia licet
 Sacrificium Missæ sit idem cum sacrificio Crucis, &
 tota efficacia Sacrificii Missæ consistat in applicatione
 valoris Christi, ut ait Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & 2.
 Hæc tamen applicatio fit finito modo, & per parem,
 sic Christo volente, ob hæc differentiam inter sacri-
 ficium incrementum, & illud cruentum, quod scilicet
 cruentum non sit reiterabile, incrementum vero potest,
 & debet jugiter reiterari, ut in dies ubique servatur,
 adeoque quamvis sacrificium Crucis fuerit, & sit valo-
 ris infiniti, quum Christus, qui voluit tantum semel
 mori, etiam unico Crucis Sacrificio voluerit omnia
 impetrari; e contra vero, quia voluit, Sacrificium Missæ
 multiplicari, etiam voluit per illud merita suæ passionis
 per partes applicari, siquæ finite, & limitate; allasse-
 querentur illa inconvenientia à me allegata loc. cit. nu-
 mer. 15. & 16. & ab aliis passim. Unde firmiter sic te-
 nenda est mea sententia, uti eam tenent S. Thom. S. Bo-

nav. Scotus locis à me cit. Eminentiss. Card. Gottus
 quest. 2. dubio 1. §. 2. de valore, & subjecto Sacrificii
 Missæ. Celeberrimus Concina lib. de Eucharist. 3. dis-
 sert. 2. de Sacrificio Missæ, cap. 3. Mastrius in 4. disp. 4.
 quest. 6. num. 117. Clericatus de Sacrificio Missæ de-
 cit. 33. num. 35. & seq. cum pluribus aliis ibi citatis
 Pasqualig. de Sacrificio Missæ, q. 119. num. 3. & 4.
 ubi plures Doctores cumulat Card. Ballar. lib. 2. de
 Missa, cap. 4. prop. 4. Card. Toletus lib. 2. cap. 6.
 & 8. Gavant. part. 2. tit. 8. num. 3. & alii, quos citat,
 & sequitur Layman lib. 5. tract. 5. cap. 1. num. 9.
 Reiffenstuel Theol. Moral. tract. 14. de Sacramentis
 dist. 5. quest. 5. concl. 1. testans de communi, paucis
 exceptis. Felix Potestas de Sacrificio Missæ, num. 234.
 Henno tom. 2. de Eucharist. Sacram. disp. 11. concl. 2.
 ubi multa tradit ad rem, allegans etiam D. Thom. in 4.
 dist. 45. art. 4. quest. 3. ad 2. ubi docet, quod quam-
 vis Sacrificium Missæ infinitam contineat virtutem, illa
 tamen limitatur ad determinatum effectum; quod confes-
 mat praxis Ecclesie plura Sacrificia non solum pro di-
 versis, sed etiam pro eodem sive vivo, sive defuncto
 offerentis, & sic alii passim. †

Pag. 119. col. 1. num. 76.

† Quoad dicta in his additionibus sub num. 76. & seq.
 poterat Aditor & debuerat videre Decretum Sacre
 Congregationis Concilii à me jam allatum in verb. Mis-
 sa art. 2. num. 18. relat. à Card. Lamberin. postea
 S. P. Benedicte XIV. in tom. 3. Notific. &c. p. 189.
 edition. Bononien. ubi sancivit, modicum tempus debe-
 re intelligi infra mensem. Vide ibi expresse determina-
 tum tempus à lege. †

FINIS.



